



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De fide instrumentorum. Consilium CXXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

conis, neque ex adverso pro parte rea probatum sit cum Notarium non esse, aut esse non potuisse, (quo casu facilius concedendum esset aliquid negativæ opinioni, *Alex. d. conf. 80.*) nihil dubitandum est, quin hoc instrumentum sit legitimum, seu saltem pro legitimo atque authentico habendum: præsertim quod de exercitio dicti notariatus constet non tantum per prædictas testium depositiones in prima instantia, verum etiam in hac secunda per plura exempla aliorum instrumentorum, tam ante, quam post datam huius controversi testamenti seu codicilli confectio- rum inter alias personas, quibus etiam publice in iudicio contradictio fides fuerit adhibita. Quemadmodum etiam illud constat, quod hic contro- vertitur, testamentum tempore inhæredationis ac legisoperationum per Gertrudem Martino Nitzen de fundo hic litigioso factum coram iustitia fuisse exhibitum & approbatum statim post mortem præfati Andreae testatoris vivente tunc adhuc præfato domino Henrico Notario, & de nota- riatu ejus nemine dubitante: quod hic valde no- tandum & observandum, quia ex eo augetur com- munitis reputatio atque opinio. Sic quod ab ex- tremis duobus annis, de quibus probatio- nes Actor attulit, hoc est anno 1506. & anno 1620. sufficientissime probetur totius medij tem- poris in hoc notariatu exercitium: ab extremis enim mediocrius præsumptio induci solet, *c. Quia sunt & ibi Gloss. 28. dist. Nic. Everar. Præses in loco ab extremis*, potissimum allatis medij temporis aliquot actibus, videlicet de anno 1509. & 1520. * Ideoque non admodum scrupulosè sit exigenda probatio, quod illo tempore, quo hoc instrumentum confectum est, Henricus fuerit Notarius; quia scilicet non tantum post illud, sed etiam ante con- fecta ab eo inveniuntur instrumenta, & hoc exer- citium non momentaneum, seu unius aut alterius sed plurimorum annorum fuerit, cum aliqui ple- rique nisi decennium, alij nisi quadriennium requi- rant, *Boer. d. decis. 36. in fin.* Intenditur hæc præsum- ptio per exhibitum plumbeum sigillum, quo sua instrumenta dictus Notarius signare solet; quali nemo privatus uti solet prout rerum experientia docet. † Hæc itaque notariatus possessio, illius- que tam diuturni & frequens exercitium, hic suf- ficere debet ad sustinendum hoc instrumentum; vincente præsertim opinione affirmativâ superius relata, & in usu quotidiano ac practica obtinente, ut ait Carolus Molinæus, *ad d. conf. Alex. 138. & ad decium, in d. cap. 1. de fide instrum.* quemadmodum latius hunc articulum & solidioribus juris rationi- bus deduxit præfatus dignissimus dominus Præses.

Inefficax ideo dicit Reus esse hoc testamentum, quod secundum obtinentem consuetudinem pa- triæ & Comitatus Lössensis intra duodecimum an- num à morte testatoris non sit apud iudicem com- petentem insinuatum & approbatum. Sed hanc objectionem removemus primum ex eo, quod de contrario constat, in actu venditionis & inhære- dationis, intra annum à morte testatoris hoc testa- mentum in loco, ubi fundus hic controversus situs est, coram iustitia exhibitum & probatum fuisse, ut expresse canunt verba præfate inhæredationis. Deinde testimonia, quibus ad hanc consuetudi-

nem probandam Reus utitur, apertè continent in Curia Officialis Leodiensis, ubi hæc causa pri- mum acta est, illam non observari; & qui simpli- citer depugnant de hac consuetudine, hoc addunt, eam obtinere quoad illos, qui ex testamento agere volunt. Cum ergo hic ex testamento propriè non agatur ad consequendum legatum, sed tantum per viam replicationis contendatur ad retentionem rei ex testamento per legatarium acquisitæ, & in ter- tium singularem successorem translata, imper- tinentis est ea consuetudo, quæ testamentorum favo- ri ac perpetuitati, aliquâ ratione repugnans, meri- to restringenda, non de casu in casum exten- denda.

Novissimè autem objicit Reus rei iudicata exceptionem ex processu olim contra colonum di- cti controversi fundi instituto: sed huiusmodi ex- ceptionis vis & effectus Actori obesse non potest; * primò ex eo, quod adversus Actorem nihil iudicatum sit, nec iudicari potuit, quia ipse citatus non fuit, *l. De unoquoque de re iud. deinde ex regula juris, quod res inter alios iudicata alijs non noceat, tit. C. Res inter alios &c.* † tum quod sen- tentia adversus colonum lata intimatione domino facta, non noceat domino, *l. fin. C. si per vim vel alio modo &c.* etiam si facta executione res vel pos- sessio rei ad Actorem sit translata, *Bart. in l. 2. nu. 17. C. Vbi in rem actio &c.* colonus enim domino suo possessionem intervertete non potest, *l. ult. c. De acq. possess.* Adhuc sententia adversus colonum lata, in contumaciam coloni tantum lata est; seu potius ob negligentiam coloni in respondendo per iudices laicos possessio translata in dictum Ioannem; quod ad causam domini nihil faci- cit: ideoque sententia huiusmodi si quæ fuit, Actori obesse non potest, *l. sæpe de re iud.* nam sen- tentia domini adjudicatoria non fuit, sed posse- ssionis tantum translatória, quod ad vindicatio- nem impediendam non sufficit, *l. ult. De rei vindic.* Unde etiam ex iisdem actis laicalibus constat tam præfatum Actorem, quam Gerardum tans post hanc translationem admissos esse ad vindicatio- nem horum fundorum; licet huiusmodi instantiæ Actor propter iudicium rusticitatem & imperitiam renuntiaverit. Sic quod omnibus revolutis ac dis- cussis in ea maneamus opinione, per Dominum Commissarium Officialis Leodiensis malè esse ju- dicatum, sententiam absolutoriam retractandam, ac secundum Actoris conclusionem tam in hac, quam in prima instantia captam, Reo in omnibus expensis condemnato, iudicandum.

De fide instrumentorum.

S V M M A R I V M.

Tabellio an possit esse spurius.

1. Stupidus testari potest.
2. Fatuus testari potest.
3. Mentis sana quilibet præsumitur.
4. Murus quis esse censetur.
5. Instrumento publico standum.
6. Spurius & infamis est qui nascitur ex clerico in sa- cris existente.
7. Notarius diu toleratus pro tali habetur.
8. Socrus quilibet testamentum facere de sua parte potest.
9. Notarius cogi potest ad protocolli editionem.

CON.

CONSILIVM CXXIX.

I V S T A & secundum acta æqua est sententia quam Venerabilis D. Officialis Antwerpiensis pronuntiavit in causa testamentaria coram ipso pro parte Matthiæ, Catharinæ, Claræ, Elizabethæ & Annæ vander Vekene agentium, contra Franciscum vander Vekene Reum introducta: ex duobus etenim dependet totius causæ status; v. delictet ex probatione allegatæ amentię Adriani vander Vekene testatoris, & conditione Cornelij Nilis Notarij, coram quo testamentum conditum est. Et sanè in priore articulo planè deficiunt Auctores; ob id, quod non tantum liquidò non probaverint prædictam allegatam amentiam, neque etiam illos actus, ex quibus probabiliter amentia, stultitia, vel iudicij plenarij defectus deprehendi posset, iuxta notata in l. Quidam in suo de condit. institut. sed etiam per testes ex eorum parte productos probatum videatur, eundem Adrianum simplicem, & per omnia non intelligentem tantum fuisse; quæ res longè recedit ab amentia.

1. Simplicitas enim morum, item animi & iudicij crassities seu fatuitas ac stupor aliquis non præcipit testamenti factionem; cum etiam major quatuordecim annis quodcumque testamentum facere possit, etiam si vigor ille animi & iudicij perfectio nondum emerit, l. si frater C. Qui testam. fac. poss. * Ideoque etiam communi opinione receptum est, fatuum hebetisque ingenij ac iudicij hominem, testamentum facere posse, etiam si propterea alicui curatori bonorum ad eum pertinentium administratio mandata esset. Ita ut non multum hic operetur agentium allegatio, quod Franciscus res Adriani administraverit, l. in l. Furiosum nu. 1. vers. 3. singulariter C. Qui testam. facere poss. De eius cons. 112. In præsentis consultatione in princ. & in c. Pastorali nu. 3. De iudic. Castren. in d. l. Si frater.
3. Potissimum quia animi hebetudine Adrianum non laborasse testes Rei numero plures, & evidentius deponentes, testificentur; ita ut in conflictu probationum illis cedere debeat testimonia agentium, propter naturalem & communem præsumptionem, quæ quilibet in ætate legitima constitutus sanè potius, quam insanæ mentis esse præsumitur, Doct. in d. l. Furiosum; quodque Petrus vander Vekene harum partium contendentium frater ab Auctoribus productus, aperte contra ipsos deponat. Neque quicquam facit ad inducendam aliquam præsumptionem fatuitatis aut ingenij, seu iudicij hebetudinis, babulries ac linguæ impedimentum: nam ex testimonijs utrumque productis constat de causa & origine huius impedimenti, scilicet ex apoplexia: ita ut corporis, non animi is morbus reputandus sit qui testanti obesse non debet, l. In adversa de testam. satique sit mutum, omnino non esse testatorem, l. Discretis. C. qui testam. fac. poss. qualis dici non potest is qui balbutit & obscure loquitur, l. Mutum de edic. edic. cuique, ut aiunt, l. si & alij in l. lubmus C. de testam. lingua ingrossata est: nam sufficit, si quocumque modo verba testantis audiri aut intelligi possint, prout hic intellecta fuisse verba testatoris ex publico instrumento in forma publica expedito atque absoluto constat;

* cuius quamdiu contrarium evidenter non probatur stare etiam & fidem adhibere oportet, l. Cum precibus C. de prebat. præsertim quod unus testium instrumentariorum productus in hac causa rem ita contigisse testificetur.

Quod ad alterum attinet de conditione & qualitate personæ Notarij, qui testamentum scripsit, verum quidem est, spurium, qualis est qui ex Clerico in sacris existente nascitur, Bart. in l. De concub. infamen esse, ideoque eum ad notariatus seu tabellionatus officium assumendum non esse, Alex. cons. 80. Examinato processu. nu. 2. vol. 2. † sed tamen longa tabellionatus quasi possessio ac diuturnum exercitium, publicaque omnium reputatio, opinio, & tolerantia faciunt, ut actus coram eo uti idoneo, & benè qualificato expediti sustineri ac valere debeant, Bart. in l. eadem §. fin. Ad leg. Tul. repetum. Alex. d. consil. 80. nu. 3. Proinde inquirendum, an hic Notarius diu officium hoc exercuerit, item an frequens ad eum, ut Notarium fuerit multorum concursus. Et vehementer suspicari licet quod legitimatus fuerit à Principe, qui eum Notarium creavit.

Illud nihil ad invalidandum testamentum facit, quod præterea per agentes obijcitur de communione bonorum dicti testatoris: nam ut communio non obstat, quo minus consors portionem suam alienare possit; ita nec impedimento est, quo minus de eadem testamentum facere possit, l. Falso C. de commun. rer. alien. Vnde nulla ratione audeo dictis agentibus consulere ut ab ea sententia provocent, nisi prædictos defectus, usus, exercitij, & publicæ reputationis in persona dicti Notarij manifestè detexerint, aut nisi ex ipso protocollo aliquid deprehenderit, quod contrarietatem aliquam inter protocollum & instrumentum in lite productum inducat: ad cuius quidem protocolli editionem atque exhibitionem cogi poterit Notarius prædictus instantibus prælati auctoribus; quia eorum interest, l. qui ex argentariis §. ex hoc editio De edendo, quod cessante testamento cum præfato Francisco Reo ex æquo futuri sint hæredes ab intestato.

De fide instrumentorum.

SUMMARIUM.

Protocolum Notarij.

1. Protocolli Notariorum potestas.
2. Protocollum ut exempletur quid requiratur.
3. Notariatus quomodo prebetur.
4. Indictio an in instrumentis requiratur.
5. Notarij subscriptio, an sit necessaria in protocollo.
6. Protocollum non registratum an valeat.
7. Donatio irrevocabilis, non est mortis causa.

CONSILIVM CXXX.

EXCEPTIONIBUS pluribus utuntur D. Oliverius vander Werve, ejusque alij litis confortes huius causæ Opponentes, adversus Henricum Laureys ac ejus confortes ejusdem causæ Auctores, ad avertendum Auctorum intentionem; sed diligenter expensæ & ad juris veritatem accommodatæ nulla est, quæ penetrer, aut perimendi vim vel effectum habet.

Ad